

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

He . 21.

PALÆSTRA SEPTIMA
THEOREMA-
TUM POLITICORUM,

De
Qualitate Felicitatis
Civilis,

Quam,
DEI Auxiliô,
Et Permissu Amplissimi Philosophorum
Ordinis;

IN ILLUSTRIBUS ALBERTINA,
Publicitus disputabunt,

PRÆSES

JOHANNES GEORGIUS à Götzen /

Nobil. Prussus & Philosoph. D.

Et

RESPONDENS

BALTHASAR Kôlner /

Reg. Pruss.

Ad d. Junii, locô horisq; consuetis

Anno 1673.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI

PALÆSTRA SEPTIMA
THEOREMA
TUM POLITICORUM

De
Qualitate Felicitatis
Civilis

Dei Auxilio
Et Permittu Amplissimi Philosophorum
Ordinis
In Universitate Habertina
Publico Disputatione

JOHANNES GEORGIVS GÖTTICUS
Nobilis Prætor & Philosophus D.

RESPONDENS
BALTHASAR RÖHMERT
Reg. Prof.
Ad d. Junii, heb. doming. confectis
anno 1673.

REGIOMONTI
Typo FRIDERICI REUSNERI



Bonó cum DEO!

I.



X præmissis jam via facilior est ad deciden-
 dum, ex quorum bonorum genere summum
 bonum sit. Bona non sunt unius generis, alia
 sunt ut *δυνάμεις* facultates, ut dominatus, ro-
 bur, pulchritudo, vis Imperii &c. Nemo pro-
 pter *δυνάμεις* laudatur aut vituperatur: non
 laudatur aut vituperatur quispiam, quòd justus, fortis, liberalis
 esse possit, sed quòd sit. Horum bonorum mentio injicitur
 lib. 1. M. M. c. 2. l. 2. Eud. c. 1. Per *δύναμιν* quis contraria efficere
 potest: hinc propriè *posse dicitur*, qui contraria potest, docen-
 te Alexandrò Aphrodisiensi in l. 1. Topic: Rhetorica & diale-
 ctica de unaquàque re contraria persuadere possunt, inde di-
 cuntur *facultates* seu *δυνάμεις* lib. 1. Rhetoricorum cap. 1. Ex hòc
 capite illa bona dicuntur facultates, quòd contrarios admitte-
 re possint usùs, quibus, & bene licet uti, & malè. Inter hęc bona
 nominantur, non solùm bona corporis & externa, ut robur, o-
 pulentia, sed & illa bona animi, quæ à naturâ nobis contin-
 gunt, ut vis ingenii. Utut illa prædicta bona ad malũ usum con-
 verti possint, non tamen ideo ex numerò bonorum excludi
 debent, quippe non ex usu viri mali, sed boni æstimari debent,
 prout docetur lib. 1. M. M. c. 2. Dicuntur verò *δυνάμεις* faculta-
 tes, quia iis non repugnat, posse tam ad malum, quàm ad bo-
 num usum adhiberi, ut suprâ indigitatum est. In hòc bono-
 rum amphiteatrò collocari nequit felicitas civilis. Nam pri-
 mò felicitas illa est *ἐνέργεια* operatio: nulla verò *ἐνέργεια* est *δύ-*

A 2

ναμεις

110
volūis seu facultas. Secundò δύναις, ut prædictum, est contrari-
orum, seu apta tam ad bonum quàm ad malum. Nihil verò
horum de felicitate, ut quæ ad malum applicari nullò pacto
potest: Sic arguit Eustratius in Comment. sub. Deinde felici-
tas est bonum perfectum & nullius rei indigum; sed nihil ho-
rum de δύναις, quippe ista indiget, ab habitu perfici: ut verè
dixerit Andronicus Rhodius cap. 19. Paraphraseos lib. 1. Eth.
felicitas est bonum perfectum; δύναις autem imperfecta Illis
bonis succedunt bona laudabilia, ad quæ persequenda ut ani-
mum crebrò adjiciamus, laudibus excitamur, quippe illa bo-
na difficilia sunt; id genus bona sunt virtutes, & actiones secun-
dum illas, seorsùm & sigillatim spectatæ, eæque imperfectæ,
quæ sunt propter perfectas actiones. Pro ratione horum lau-
dabilium bonorum, etiam duplicis generis laus datur, alia
dicitur laus propriè, alia encomium, laus propriè est virtutis;
encomium est ejusdem operum & factorum. Quod indigi-
tat Philosophus lib. 1. Rhetor. cap. 9, ubi ait: *Laus est oratio in-
dicans virtutis magnitudinem; Encomium autem operum virtu-
tis est.* Et lib. 1. Eth. cap. 12. *Laus propriè virtutis est, encomia
operum.* Quod & repetit lib. 2. ad Eudemium, ubi dicit:
*Laudes propriè virtutibus tribuuntur propter facta, encomia au-
tem factis, rebusque gestis.* Interim non rarò laus & encomi-
um apud auctores in promiscuò habentur. Tandem bona
honorabilia agmina claudunt, qualia sunt τὰ θεῖα καὶ ὑπερ-
πᾶντα: *quæ divina sunt, & reliquis majora.* Jam felicitas neque
ex numerò bonorum laudabilium est. Nam primò bona lau-
dabilia sunt, quæ qualitate boni prædita sunt, & ad aliud, nem-
pe ad honestas operationes, quodammodo referuntur. Unde
Philosophus: *Videtur omne laudabile propterea laudari, quia
quali-*

*qualitate aliquà preeditum est, & ad aliquid quodammodo refer-
 tur: justum enim & fortem, & omninò virum bonum, ac virtu-
 tem propter facta & actiones laudamus. Robustum & eum, qui ad
 cursum aptus est, & unumquemque aliorum propterea laudamus,
 quòd à naturâ sic comparatus, & quodammodo ad aliquod bonum,
 ad præstantiam aliquam affectus est. Quod etiam declarant Deo-
 rum laudes. lib. 1. Eth. c. 12. §. 3. 4. 5. Et Eustratius in Commen-
 tariò suo: Omne laudabile ob id laudatur, quia qualitatis alicujus
 boni est particeps, & ad aliquid refertur, veluti ad opus, quod per-
 ficit. Ita justus, fortis & c. laudantur ob qualitatem bonam, seu
 virtutem, quæ aptos illos reddit ad rectè agendum. Similis ratio
 est bonorum corporalium, quæ sub laudem veniunt. Laudatur
 enim verbi causâ tam corpore robustus, quàm cursui habilis ex ha-
 bitu boni corporis, quo apti redduntur, ille quidem ad id, ut ad reni-
 tentia obniti valeat; hic autem, ut celeriter locorum intervalla
 pertranseat. Eustratius dicit. 1. Ex quibus evidens est, non
 esse absonum, illos DEO facere non Deum, qui eum laude
 dignum judicant, quippe si ad aliud referretur, nec esset per se
 & propter se. Neque obstat, quod & Aristoteles ipse laudis
 subjectum Deum ponat lib. 1. Rhetoric. cap. 9. Nam Aristote-
 les in Rhetoricis non κατ' ἀρετῆς, sed κατὰ δόξαν multo-
 rum differit; sic & voluntatem ibidem definit ex sententiâ
 vulgî, quòd sit appetitus rationis, cum tamen aliàs, ubi de eâ
 ex professò agit, verbi causâ lib. 3. Ethic. passim, aliter defi-
 niat. Secundò Deus in & per se consideratus, non est obje-
 ctum laudis, est tamen respectu nostri, quatenus nos pro bo-
 nitate suâ cumulat donis suis ac beneficiis, non ut nostrâ laude
 & encomiò indigeat, sed ut nostram gratam mentem & pieta-
 tem exercent, & nos in nostrò officiò contineat. Jam autem*

ebatitudo non refertur ad aliud tanquam finem: nam expeti-
 tur propter se, ut quæ finis ultimus eorum, quæ ab homine,
 ut homo est, expetuntur. Adeoque felicitas non est inter bo-
 na laudabilia. Actiones quidem virtutis imperfectæ nu-
 merantur inter illa, sed non felicitas, quæ actio virtutis perfe-
 cta est. Cum felicitas sit finis, evidens est eandem esse princi-
 pium. *Finis enim in practicis idem est, quod hypothesis in contem-
 plativis* l. 2. Eud. cap. 11. *hypothesis verò principium est.* l. 1.
 post. c. 2. §. 10. Et quidni esset principium, finis quippe cau-
 sa est l. 2. Physic. cap. 3. lib. 1. *Metaph. cap. 3. l. 5. Metaph. c. 2. &*
quidem prima causa est inter omnes alias. Finis enim gratiâ
 causa efficiens agit, nisi temere agere velit, mota ad operandum
 bonitate illius. Hujus quoque causâ materia est, ut quæ
 absque formâ imperfecta est, in quâ, materiæ perfectionis
 causa est, hinc materia formam appetit, ut foemina marem, ac
 turpe pulchrum l. 1. Physic. cap. 10. text. 81. Forma autem &
 finis coincidunt, nec nisi ratione (sensu Aristotelico sumtâ) dif-
 ferunt: nam ratio finis prior est, ut qui primus intenditur:
 ratio verò formæ posterior, ut quæ jam in actu posita est, quo
 materiam perficit. Prius enim res una eademq; intenditur,
 antequàm producat; quatenus verò res intenditur, & produ-
 cenda est, eatenus finis rationem habet; ut verò producta ma-
 teriam perficit, in quam introducenda erat, formæ rationem
 obtinet. Principium verò, quod reliquorum causa est, si in
 genere boni est, est bonum honorabile, quippe fons est, unde
 alia manant, hinc Alexander principia *τίμια* honorabilia esse
 docet in 3. Topic. Præterea laudis hæc est ratio, ut à vitiis nos
 avocet, & ad præclarè facta edenda excitet: propterea laudantur
 virtutes, ut studiò laudis illecti, in virtutum impellamur stu-
 dium.

113

dium. Unde bona corporis & externa propriè sub laudem non cadunt, nisi quatenus virtutis instrumenta & ornamenta sunt; robustus tum laude dignus censendus est, cum robore utatur ad fortitudinem exercendam. Unde quàm ridiculus iste sit, qui Deum laude dignum censet, facilè colligere est, dum videt illos laudari, qui in vitia prolabi possunt, & ut virtutem sequantur, cohortatione indigent. Sic nec felicitas laudari potest, quia in eam sectandam, omnes sine ullo incentivò per se feruntur. Unde Summum Bonum non facit numerum inter laudabilia. Hinc Deos non laudabiles, sed felices & beatos, quasi laude superiores appellitamus, ut & viros maximè divinos. conferatur lib. 1. Eth. cap. 12. Dices bonum honorabile est bonum Divinum, quod inductione certum, v. gr. primus motor est bonum honorabile, hinc qui isto bonò instructi sunt, dicuntur divini. Ast verò Summum Bonum, est bonum humanum, expetitur enim abs homine, quà homo est: hinc & Aristoteles lib. 10. Eth. passim Summum Bonum Practicum opponit Summo Bono Divino, quod est contemplativum, illudque docet esse humanum, hoc Divinum. Respondeo. Summum Bonum Practicum potest dupliciter considerari vel materialiter, vel formaliter. Materialiter quidem, ut est operatio civilis seu in civitate inter socios, eatenus est humanum, quippe natura Divina sibi sola sufficit, nec sociis indiget. Formaliter consideratur, ut est actio perfecta, quæ per se est, non ob aliud quidpiam: & eatenus Summum Bonum non est humanum, sed Divinum. Unde Aristoteles de Scientiâ, quæ sui ipsius gratiâ est, ita dicit: *quare meritò non humana ejus possessio putabitur: natura enim hominum in plerisque serva est: Quapropter secundum Simonidem DEUS utique solus*
hanc

banc habet dignitatem. lib. 1. Metaph. c. 2. At verò, dices, negari non posse, quòd ob virtutis actionem quoque quispiam laudetur, nonne laudatur Aristides, quòd per omnem vitam, secundum justitiam operatus sit, nonne laudantur viri fortes, qui pro patriæ salute mortem oppetièrunt. Jam verò *εὐδαιμονία* seu beatitudo civilis nihil aliud est, quàm actio virtutis, utique & ipsa erit bonum laudabile. Respondeo; ut ut is, qui ex virtute agit, sit laudis objectum, hoc tamen noscendum, quòd is non statim sit dicendus beatus, qui præclaras edit actiones, sed qui omni vitæ tempore, in perpetuò virtutis exercitiò versatur. Conf. in hanc rem Eustrat; comment. in lib. 1. Eth. c. 12. §. 8.

Tantum!




Lp 329
8

1000

200







B.I.G.

Farbkarte #13

SEPTIMA
REMA-
ICORUM,

elicitatis

kiliô,

i Philosophorum

BERTINA,
atabunt,

GIUS â Götten /
ilosoph. D.

ENS
Kölner /

horisq; consuetis
73.

NTI,
REUSNERI

